



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1400. usque ad annum 1415 - Unacum Dissertatione  
Præliminari Ad Historiam Sæculi XV.

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1767**

**VD18 90118286**

§. 43. Benedictus Papa in Italiam profectus, Genuam venit.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66281](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66281)

bore decertabant, ut Capitolio obsidione Sæcul. XV.  
 cincto, paulo post Columnnenses, totam- A.C. 1405.  
 que Ladislai factionem urbe pellerent.  
 Iudices vero, utpote ob concivium suo-  
 rum cædem graviter exulcerati ad Pa-  
 pam, ejusque Nepotem acerbis admo-  
 dum exarabant epistolas, & dejectis un-  
 dique eorum insignibus, se Innocentium  
 haud ultra tanquam Pontificem venera-  
 tuos profitebantur.

§. XLIII.

*Benedictus Papa in Italiam profectus,  
 Genuam venit.*

Dum in Italia hæc geruntur, Benedi- Theod.  
 ctus Niceæ in Provincia conscensa Niem. l. 2.  
 navi, Mense Majo anno millesimo qua- c. 28.  
 dringentesimo quinto Genuæ appulsus est.  
 Civitas hæc eo tempore sub Gallorum  
 dominio constituta ab obedientia Inno-  
 centii defecit, & suadente Pileo Mari-  
 no suo Archiepiscopo, Bonifacii obsequio  
 sese addixit. Respublica Pisana secuta  
 est Genuensem, auctore Gabriele Maria  
 Visconti, seu Vice-Comite, qui supremam  
 hujus ditionis potestatem sibi arropa-  
 bat. Benedictus Papa Genuæ a Bucic-  
 aldo supremo militiæ Præfecto, atque  
 a Civibus maximis honoribus excipie-  
 batur. Verum in hac quoque urbe fini-



Sæcul. XV.  
A.C. 1405.

Juven. Ur-  
sin. & Mo-  
nach. S.  
Dionys. in  
hist. Ca-  
roli VI.

stræ fortunæ ludibria experiri debuit Pontifex, occasione nata ex militibus, quos secum adduxerat: aucto enim in dies eorum numero, Pontificis potentia Genuensibus suspecta fuit. Quare illi opportunum hæc copias recensendi locum obtendentes, illas dextere urbe extractas reditu intercluserunt. Ea re Benedictus haud parum commotus de injuria sibi illata graves ad senatum querelas deferebat. Ast Genuensibus a suscepto consilio nec latum unquam discedentibus Papa necessitati temporis cedere cogebatur.

## §. XLIV.

*Innocentius Benedicto saluum conductum denegat.*

*Niem loc. cit.* Exiguo post tempore Benedictus simulatum unionis studium prosequi cupiens, Innocentium Papam exorat, ut novis suis Oratoribus, quibus plenam pacis cum eo componendæ auctoritatem tribuisset, literas publicæ fidei testes daret: Quas tamen Innocentius Viterbii adhuc hærens vel Benedicti calliditatem veritus, vel pactum inire e re sua non esse arbitratus, concedere recusavit. Lætus hac repulsa Benedictus, datis sine mora ad omnes Provincias literis, æmulum